DE MORBO BRIGHTII.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
GRYPHISWALDENSI
AD SUMMOS
IN MEDICINA, CHIRURGIA, ARTE OBSTETRICIA
HONORES RITE CAPESSENDOS
DIE VIII MENSIS APRILIS ANNI MDCCCLXI
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
FERDINANDUS MISCHNER
LUSATUS.

OPPONENTIBUS:
G. SCHOENLEBEN, MED. DR.
L. STREIT, PHIL. DR.
C. RENISCH, MED. DR.

GRYPHISWALDIAE.
TYPIS FRIDERICI HACHE.

PATRI OPTIMO

SACRUM.

Scribenti mihi hunc libellum primum eos qui legent, monitos volo ne sperent, copiosas me atque graves observationes propositurum de morbo, cui inde a tempore Brightii, a quo nomen habet, omnes omnium nationum medici doctissimi operam dederunt: immo satis mihi quidem erit, exemplo accuratissime diligentissimeque observato, quod multum praebeat jucundi, de historia et natura hujus morbi nonnihil memoriae tradere resque nonnullas, quae recentiore tempore allatae atque illustratae sunt, afferre. Quamvis multi medici sint iique maximi, qui morbis renum, qui quidem Brightii appellantur, operam dederunt, et quamvis magni ea, quae ipse Bright, Christison, Gregory, e Franco-Gallis quum alii tum Bayer et M. Solon effecerint, aestimanda sint, permulta tamen hac de re maximeque et de morbi vi et de statu pathologico-anatomico in dubio relinquuntur. Germanicorum medicorum e numero primus Gluge, Valentin, Hecht, J. Vogel, Canstatt huic morbo studerunt. Quorum observationes quamvis inter se non modo dissentirent, sed etiam prorsus repugnarent, diagnosticis tamen haud paulum magni momenti additum est. Nec minus illi medici, qui nostra aetate, studiis illis a Bowmande interna renum structura praeclarissime perfectis, quum cetera, tum maxime histologiam pathologicam inquirerent, summas adeo inter se pugnantes effecerunt, ut variis morbi modis omnia illa,

Jam tria haec stadia, quae non nisi ut omnia clarius cognosci possint finguntur, apud aegrotos saepissime tam accurate discerni nequire, sed plurimis formis, quibus conveniant, uti, quae cui stadio adnumerandae sint, difficillimum sit judicare, id nemo mihi negaturus videtur. Hoc tamen ex illis, quae attuli, elucet, omnia symptomata illa ad hanc unam causam revocanda esse, etiamsi singulis commutationibus, quae hunc inter morbum in statu anatomico quum aliarum corporis partium tum vel maxime renum inveniuntur, singula nomina dare liceat, dummodo his nominibus nihil aliud significetur, quod aliam, quam quae supra exposita est, sententiam rationis illius contineat. Nihil enim vult sibi nomen. Eodem modo ratione illa, quam diximus, anomalia, quae in sanguinis compositione existit, declaratur: jactura enim cotidiana albuminis fibrinique haud parva hydraemia efficiatur necesse est, quae quidem ipsa symptomata morborum plurima offert. Obstructione deinde canalium uriniforum materiae, quae urina e corpore hominis sani educuntur, in sanguine retinentur, quas adesse uraeminae symptomatibus satis confirmatur.

Aetiologia.

Jam ut de causis hujus morbi nonnulla dicam, raro difficile est, causas, quibus morbus effectus sit, ostendere; quamquam saepius mihi accidere posse videtur, ut ipsae causae perspicue cognosci nequeant, nisi forte ad rationes et opiniones aberrare volumus, quae argumentis carent. Ac morbus quidem saepissime in homines aetatis validissimae incidit, rarius in senes parvulosque, quam-

quam inter hos morbus scarlatinam sequens potest saevire. Mares saepius afficiuntur quam feminae, minus tamen, ut mihi videtur, propter naturam eorum, quam eo potius, quod causis, quibus morbus adducitur, magis expositi sunt. Quum vero omni modo in vivendi ratione causa maxima ponenda sit, praesertim in ordine pauperum atque inopum morbus Brightii invenitur, etiamsi hominibus optimis conditionibus viventibus haud pepercit Atque quum illi, qui regiones planos, tum qui littora incolunt, morbo facillime afficiuntur, quam ob rem in Batavia, Anglia, et praesertim in oris maris et septentrionalis et orientalis tam frequenter reperitur.

Nec minus quam clima miseria ista socialis malum hoc adjuvat; hominesque, qui non modo omnibus tempestatis molestiis expositi et male induti diutius in aëre frigido et humido sunt coacti commorari, sed etiam vitam degunt miserrimam victuque saepe carent, hoc morbo praemature solent obire. Quamquam nemo, qui accuratius miseriam atque inopiam ordinum pauperrimorum societatis observandi occasionem habuit, negabit alias etiam apud istos causas adesse, quum aut spirituosis se dederint, ad quem abusum vita ipsa miserrima adducuntur, aut aliis vitiis indulgeant.

Causa haud minus gravis refrigeratio est et permadefactio.

Nexum causalem etiamsi adhuc nullo modo certe declarare possumus, etsi permultae de illo rationes sunt allatae, quae, quamvis sint summi ingenii testes, plurima tamen dubia relinquunt, harum causarum vim nihilominus esse perniciosissimam nemo mihi non concedet, quippe

quum omnes observatores plurimum iis tribuant. Abusus diureticorum acrium, Cubebaeque et balsamum Copaivae temere adhibita, ut morbum Brightii adducat, omnino haud frequenter accidere mihi videtur: saepius contra suppurationes diuturnae, caries imprimis et necrosis ossium causae morbi habendae sunt, quippe qui saepissime his quae diximus malis conjunctus adsit. Nec minus in dyscrasiis ut in arthritide, rhachitide, syphilide, scrophulosi invenitur. Quod quidem dyscrasia sanguinis, qua omnino exsudationes cujusque modi adjuvari notum est, haud ita difficulter declarari mihi videtur, nisi forte lues excipitur, quae utrum cachexia ipsam insequente morbum Brigthii efficiat, an ipsa dyscrasia exsudationes ponat in renibus, simili modo, quo in ossibus, parenchymate hepatis, dubium esse potest. — In anthematibus acutis autem, in scarlatina, morbillis, variola, deinde in typho, cholera, quid morbum Brigthii efficiat, certo ostendere hunc usque ad diem nondum contigit, quamquam hisce in morbis mutatione aliqua sanguinis materias, quarum vis perniciosa certis in organismi locis cernitur, oriri verisimile est. Quas tamen certius significare pro iis, quae exstant, disquisitionibus, audacius factu videtur. Mala quoque, quibus mechanice prohibetur, quominus venae renum normaliter vacuefiant, vim causalem gravissimam habere, facile intelligitur. Quamquam causae illae ipsis a venis renalibus raro pendere videntur, saepius contra compressione, ut tumoribus retroperitonealibus, incarceratione venaé cavae ascendentis cirrhosi hepatis valde provecta, obstructiones in iis effici putentur. Quo in numero nonnunquam pressus quoque uteri in gravidis habendus est,

praesertim quum sanguis inter graviditatem saepius ita mutetur, ut albumen fibrinumque facilius excedere possint: sanguis enim ille quum albumen amittat, fit aquosus, quumque corpuscula sanguinis rubra deminuantur, alba augentur. Saepissime tamen morbis cordis, cujuscunque sunt generis, circulatio sanguinis turbatur. Hypertrophiam contra simplicem impulsu illo, quo sanguis ejicitur, aucto albuminuriam et deinde morbum Brigthii adducere, id secundum eas, quas Frerichs instituit, inquisitiones minime est verisimile. Quamquam, si tam diu adfuit, ut vi musculi cordis debilitata sanguinis circulatio deminuatur, in morbo Brigthii illius quoque ratio habenda erit. Maxime vero valvularum vitia, quibus circulatio plus minus turbetur, summi esse ad hoc malum momenti, id nemo concedere dubitabit. Nec minus eo, quod cordis vitia organica morbo illi saepissime conjuncta sunt, nexus inter ambo causalis significatur: quorum morbo cordis vim primariam, renum secundariam tribuendam esse manifestum est. Etsi nullo modo negatur, fieri posse ut cordis quoque morbus sit secundarius, sicuti in morbis pulmonum, vel ut uterque, et cordis et renum morbus una causa sit effectus: semper tamen turbatione circulationis, morbis cordis allata, altera causa additur, qua morbus Brightii adjuvatur, etiamsi causa illa initio primaria tollatur.

De symptomatibus morbi.

Morbus prout celerius aut tardius incedit, duo discernuntur modi, quorum alter est acutus, alter chronicus. Spatium autem hujus libelli quum transgressurus sim, si

processum ejus copiosius et acuratius exponam, nihil nisi symptomata generalia liceat mihi afferre.

Morbus Brightii acutus.

Forma hujus morbi acuta saepe apud homines, qui scarlatinam perpessi sunt, invenitur, aut cum typhoide cholerae conjuncta est. Plerumque cum impetu frigoris incipit, quem febris insequitur: simulque dolor in regione renum et nausea vel vomitus adest. Cui symptomati Niemeyer majorem vim quam illi tribuit, quippe quod saepius reperiatur, quam febris doloresque renum. Aegroti quamquam perpetuo ad urinam urgentur, exiguam tamen ejus vim reddere solent, quae paulo post sedimentum rubellum et floccosum deponit. Quod sedimentnm si microscopice inspicitur, plurimae in eo inveniuntur epithelia canalium uriniferorum cum corpusculis sanguinis cylindrisque fibrinosis corpuscula sanguinis continentibus. Sanguis quamquam interdum abest, albumen tamen semper reperitur. Deinde nec multo post tumores hydropici existunt, qui plerumque totum per corpus celeriter dilatantur cutemque, quia tam celeriter incedunt, vehementer tendunt. Quo in stadio nonnunquam fit, ut morbus in bonam partem vertatur, quum non modo sudores vehementes appareant, sed urina etiam largius secreta magis magisque materiam albumineam amittat, symptomata autem hydropica prorsus decedant. Quo modo morbus paucis hebdomadibus plane sanari potest. — Saepius tamen, quae sunt complicationes periculosae, inflammationes acutae pleurae, pericardii, peritonaei, pulmonum oriuntur, quibus quidem aegrotus saepissime succumbit. Rarius in

hac morbi forma intoxicatio uraemica invenitur. — Morbi autem processus minus quoque vehemens fieri potest, nec modo febris abit, sed decedunt saepe cetera etiam symptomata omnia, si exiguam vim albuminis in urina relicti exceperis. Quae tamen remissio per tempus plus minus longum manet: mox symptomata illa acriora fieri incipiunt, augeturque albumen. Hoc modo forma acuta ad chronicam transiit. Quem exitum morbi Brightii acuti Niemeyer perraro, Frerichs plerumque accidere dicit, quum in homines incidit, qui valetudine adhuc haud corrupta utebantur.

Morbus Brightii chronicus.

Forma hujus morbi chronica tales affici solent homines, qui causis quibuscunque, sive vita misera et egena, sive aliis rebus iniquis debilitati sunt, aut tales, quorum valetudo vitiis omnis generis, abusu spirituosorum etc. fracta est, aut ii denique, qui diutius vitiis cordis organicis laborarunt. Jam adspectus hominum hoc morbo affectorum tristissimus est, facillimeque eo nos adducit, ut malo gravissimo, quodque totum organismum afficiat atteratque, eos laborare existimemus. Facies pallida et subtumidula lenta et stupida, cutis frigida est atque sicca ipsique sunt debiles languidosque et tristes sese trahunt. Urina colore est languide flavo, saepe in subviridem transiens, pondere specifico levis, quod usque ad 1,005 deminui potest, et plus minus albuminis et fibrini continet. Accedit, quod saepius ad urinam reddendam urgentur. Quantitas ejus plerumque normalis, nonnunquam adeo aucta est. Mox tumescentiae quoque hydropicae oriuntur

quum ceteris corporis in partibus tum maxime in facie, extremitatibus inferioribus, scroto tegumentisque abdominis: implenturque abdomen cavumque thoracis transsudatis. Quae tumescentia saepe mutabilis tum crescit, tum aut singulis in partibus aut prorsus abit, praesertim si urina largiter excernitur. Haec inter symptomata malaque quae ea sequuntur, vires aegroti magis magisque minuuntur, nec digestio solum turbatur, sed exstitit etiam saepe nausea, vomitus, diarrhoea vehemens atque profusa. Effusionibus illis in cava pleurae texturamque pulmonum factis respirationis turbationes pro vehementia illarum periculosae efficiantur necesse est, materiisque excrementalibus, quae in sanguine remanent atque cerebri functiones delent, morbus ad exitum perducitur, nisi forte processus inflammationis aliis in organis subito existentes mortem maturant. — Exitus hujus morbi Brightii generis perraro est faustus: etiamsi enim aegrotus, morbo multos saepe per annos laborans, quum valetudine utatur tum meliore, tum pejore, ad sanitatem videtur revocari, serius ocius tamen malo huic, quod jure timetur, succumbit.

Therapia.

In therapia hoc quidem inprimis curandum est, ut homines morbo affecti, quantum possit fieri, a causis, e quibus morbus ortus est, removeantur et quominus alia mala accedant, prohibeatur. Quamquam primam hanc prosperae curae conditionem rarissime perfici posse dolendum est. Etenim quum, id quod in aetiologia vidimus, in miseria sociali una ex causis gravissimis sit posita

neque unquam paene statum istum pessimum mutare aegrotumque ad durantem meliorem revocare possimus, plerumque prima haec prospere tractandi conditio omittenda est. Quumque res tam triste se habeant, haud mirum est, quod eventus contra hoc malum paulum splendeant. Indicationi morbi ut respondeamus, adhuc quamvis processus morbi accurate sit cognitus, paullum adjuti sumus, quia nulla medicamenta nobis sunt, quae vim habeant in processum hunc renum specificam. Curatio igitur praecipue symptomatica esse debebit. Organismus autem quum permagnam partem jactura albuminis malisque illam sequentibus labefactetur, id summa diligentia nobis curandum est, ut detrimentum hoc, quantum fieri potest, compensantes sanguinis dyscrasiam prohibeamus. Quod quidem diaeta certis regulis adstricta corpusque corroborante effici potest, simulque medicamenta statui illi accomodata, ut Chin. ac praeparata ferri prospere adhiberi manifestum est. Attamen hydrops si existit, deductiones sive per urinam sive per tubum intestinalem sive per cutem nobis instituendae erunt. Diureticis quidem prudenter et caute utendum esse mihi videtur, quia plurimis horum medicamentorum vis inest renes lacessens, quod omni modo est evitandum. Deductiones per intestina nullo modo continuari debent, simulatque digestionem turbant. Diaphoresis vehemens, balneis calidis, quae involutiones in stragula lanea sequuntur, effecta, auctore Niemeyer in nosocomio Gryphiswaldensi semper paene prospero eventu contra anasarcam adhibita est; contra symptomata intoxicationis uraemicae acida vegetabilia optima esse videntur.

Historia morbi.

Ferdinandus Menzel, 24 annos natus, mercenarius pistorum, puerum optima valetudine semper se usum fuisse dicit. Anno tamen 19 aetatis, quum peregrinaretur, febri intermittente tertiana correptus in nosocomium Wittenbergense receptus est, quae quintum circiter post impetum, pulvere, qui erat gustu paullulum amaro et salso, sumto, decessit. Octo autem diebus post ultimum febris motum aegrotus organa sexualia externa tumescere animadvertit pauloque post extremitates etiam inferiores crassescebant, moxque anasarca totum per corpus serpsit. Septem deinde hebdomadibus interjectis anasarca evanuit, ut aegrotus, postquam 16 per hebdomades in nosocomio, quod diximus, moratus est, sanus dimissus peregrinando denuo se dedere posset. Sed octo vix dies nosocomio egressus iterum febri intermittente laborare incepit et quidem tertio quoque die. Cujus impetus quamquam aegroto tendente erant vehementissimi iter tamen illis diebus exceptis, quibus febri tactus morari cogebatur, continuavit.

Sic, primo die mens. Aprilis Wittenberga egressus, medio mense Junio ad Rugiam insulam pervenit miserrima valetudine, ubi per quatuor hebdomades apud propinquos requiescebat. Ministerio deinde accepto totum per annum intermittente vexabatur, quae neque medicamentis domesticis adhibitis — facile creditu — neque a medico, quem aegrotus arcessitum esse dicit, pelli potuit, donec mixtura aceti cretaeque sumpta abiit. Qua quum sexies usus esset febrim redisse aegrotus certissime negat: initio enim impetus semper paulum exspectatione

serius accessisse, tandem mixtura illa sexies adhibita prorsus evanuisse. Inde ab hoc tempore ad tres hebdomades usque aegrotus perpetuo sanum se fuisse ait, quo tempore iis quibuscum consuetudine erat conjunctus, facies ejus interdum solito obesior videbatur. Nonnullis diebus post extremitates non modo paululum tumescebat et debilitabantur sed accedebat etiam spiritus angustia, et interdum palpitatio cordis. Jam quum abhinc octo dies scrotum quoque valde tumesceret, tum demum aegrotus ad medicorum auxilium confugere coactus est.

XVIII die mensis Februarii aegrotus in nosocomium hujus urbis receptus est. Facies vegeta erat corpusque robustum: sonus percussionis in thorace et anteriore et posteriore plenus; hepatis obtusio in linea maxillari a costa sexta, in linea axillari a septima incipiens marginem costarum inferiorum haud supereminet. Cordis obtusio a quarta costa excedens introrsum in sonum ventriculi mutatur. A fronte utraque respiratio vesicularis, in linea axillari singuli rhonchi sibillantes, itemque ad sinistram prope a sterno. Eodem modo in dorso respiratio vesicularis normalis, a laeva dextraque parte columnae vertebralis rhonchi nonnulli subtiles. Cordis ictus debilis inter costam quartam et quintam in linea parasternali animadvertitur. In valvula mitrali primus sonus diffissus, ceterum cordis soni erant puri, quamquam perdebiles. Abdomen satis obesum, sonus percussionis tympaniticus, non nisi locis infimis in vastum transiens. Ceterum quum extremitates valde tumidae factae sunt, tum maxime scrotum, quod usque ad duos pugnos crevit. Ipse aegrotus queritur, quod siti summa vexatur cibique appetitus

est minimus; alvus quotidie excernitur, urinam tamen paulum se reddere ipse dicit, quae haud est prorsus pura, lutea, atque acido nitrico addito aut ipsa calefacta sedimentum apparet, quod acido nitrico adjecto haud evanescit. puls. 64, resp. 24.

XIX die vespero. Appetitus optimus. In regione supraspinata sinistra obtusi exigua itemque summo in pulmone magisque deorsum tota posteriore thoracis parte sinistra. Obtusio totalis unum digitum infra angulum scapulae inferiorem incipit, cujus finis horizontalis; dextra parte inferiore finis eadem altitudine oritur. Ad dextram respiratio vesicularis, magis deorsum singuli rhonchi sibilantes in regione sinistra supraspinata respiratio vesicularis, in altitudine anguli scapulae inferioris respiratio bronchialis et prope a columna vertebrali et usque ad cavum axillare audiuntur. Dextra eadem in altitudine respiratio abest. Cordis obtusio a quarta costa exoritur, neque in amplitudinem aucta est; ictus cordis paulum introrsum a papilla mamillari in spatio quarto intercostali. Hoc loco strepitus auditur systolicus, in regione sterni minus distinctus; supra aortam soni puri. Sonus pulmonalis secundus paulum plenior. Lien satis amplificatus infra arcum costarum non praeeminat. Locis quoque maxime declivibus ventris sonus percussionis tympaniticus; fluctuatio cognosci nequit. Sputa tenacia, purulenta, homogenea.

XX die m. Strepitus systolicus distinctus. Sputa tenacissima, mucosa purulenta, homogenea.

XXI die. Aegrotus plurimum tussit, neque quidquam hodie nisi quadrantem lactis coffeamque totum per diem

bibit. Secundum praescripta proximis diebus aquam non haurit.

XXV die. Ex vespero hesterno mixtura solv. adhibetur. Tussis multo minus vehemens quam diebus prioribus. Neque ulla anteriore in thorace abnormitas soni percussionis invenitur, neque cordis obtusio aucta est; ictus cordis in quarto spatio intercostali paulum introrsum a linea maxillari versus erat. Pulsus — 44! — manifesto dicrotus, eodemque modo ictus cordis dicrotus cognoscebatur. Strepitus systolicus perdebilis, sonus pulmonalis secundus haud clarior. Tota in anteriore parte respiratio vesicularis, utraque posteriore in parte e media scapula deorsum obtusio, quae utrinque duos digitos supra angulum scapulae inferiorem totalis est, inferius sita in regione axillari sinistra, in dextra eadem circiter altitudine qua in latere poteriore. Utraque in parte posteriore superiore respiratio vesicularis cum exspiratione prolongata atque acriore. Dextro in latere ad obtusionis circuitum respiratio abest; in regione a columna vertebrali ad sinistram sita respiratio bronchialis, in parte exteriore debilior.

XXVI die h. m. Hodie mane aegrotus surrexit. Oedema extremitatum minimum; valetudo universa optima. Ipsi venter minus tumidus esse videtur. Appetitus bonus: aquam, exceptis illis, qui sunt praescripti, cibis liquidis, non haurit. A die hodierno quater quotidie unum cochlear mixt. solv., atque liq. ferr. chlorot. ʒij ad ℥vj secunda quoque hora unum cochlear sumit. Puls. 60, resp. 24, temperatura infra linguam:

hora $11\frac{1}{4}$ = 36,97°

h. 6. 47′ = 37,6°	}	proximo post coenam tempore.
h. 6. 48′ = 37,5°		
h. 6. 49′ = 37,5°		

XXVII die valetudo universa bona.

$9\frac{1}{4}$ h. mane puls. 47; resp. 22; temp. 36,87°.

Vespero. Oedemata deminuta sunt.

$5\frac{3}{4}$ h. puls. 52; resp. 20; temp. 37,24°.

Laevae extremitatis inferioris circuitus juxta et supra patellam $44\frac{1}{2}$ Ctm.; extremitatis dextrae = $42\frac{1}{2}$ Ctm. Maximus cruris laevi circuitus = 38 Ctm., dextri = 37 Ctm. Aegrotus totum per diem in lecto versatus est.

XXVIII die mane, $9\frac{1}{4}$ h. puls. 52; resp. 20; temp. 37,0°.

Pondus corporis intecula induti post meridiem $3\frac{1}{2}$ h. = 84,87 Kgr. $3\frac{1}{2}$ h. aegrotus stragulis laneis circumtegitur balneo antea haud adhibito, quod per tempus quamquam sensus caloris aderat, sudor tamen abfuit.

5 h. 13′ puls. 54; resp. 20; temp. 37,33°.

Tussis sputaque minima.

Vespero. Auditur semper etiam strepitus systolicus debilis sed distinctus. A parte posteriore laeva obtusio totalis incipit unum vel duos digitos supra angulum scapulae inferiorem, a dextra unum pollicem infra eundem. In circuitu obtusionis respiratio utrinque deest, ad laevum obtusionis finem juxta columnam vertebralem respiratio bronchialis debilis animadvertitur.

XXIX die post meridiem $2\frac{3}{4}$ h: pondus corporis = 85,35 Kgr. Inde ab hora $2\frac{3}{4}$ usque ad horam $3\frac{1}{4}$

balneum plus quam 33° R. calidum adhibitur; quo facto aegrotus stragulis laneis circumvolvitur. Facies valde rubefacta, sudore cooperta, tactu fervidissima 4¾ h.

4 h. 50′: puls. 118; resp. 28; temp. 38,53° infra linguam.

Circumvoluti caput doloribus paulum affectum est. A collo unum circiter pollicem inter pectus et stragula inductum thermometrum usque ad 37°,5 surgit. Sudor ad horam 5½ usque mediocris. Pondus corporis h. 5½ = 84,35 Kgr.

I. die mens. Mart. mane. Faciei oedema exiguum, valetudo bona.

Post meridiem: ante balneum 2 h. 25′: puls. 44, resp. 20, temp. 36°,86. Pulsus semper quoque distincte dicrotus. Pondus corp. = 85,37 Kgr. A 2½ h. usque ad 3 h. 5′ in balneo moratur 33° R. calido: tum stragulis involvitur. Facies mediocriter rubefacta, sudore tecta, qui tamen non perfluit. Valetudo universa dum est in balneo aegrotus sudatque crastino die melior.

				infra linguam
4 h. 50′:	puls. 84;	resp. 24;	temp.	37°,83
4 h. 55′:	puls. 80;	resp. 24;	temp.	37°,50
5 h.	puls. 82;	resp. 24;	temp.	37°,78

Thermometrum inter cutem et stragula interpositum 37°,5 ostendit. Ex 5 h. 5′ extra stragula est.

5¾ h. pondus corporis = 84,30 Kgr.

II. die h. m. Meridie pondus corp. = 85,12 „

A 3¼ h. usque ad 3¾ h. in balneo 34° R. calido.

A 3¼ h. usque ad 5¾ h. involutus.

Quod tum fit, bene se habet. Facies vehementer rubefacta, paulum oedematosa.

5 h. 10′: puls. 90; resp. 22; temp. 38°,10

5 h. 45′: puls. 84; resp. 24; temp. 38°,00

Inter cutem et stragula temperatura 37°,3

$6\frac{1}{4}$ h. pondus corporis = 83,75 Kgr.

III. die post merid. 3 h. pond. corp. = 84,1 Kgr.

A 3 h. usque ad $3\frac{1}{2}$ h. balneo usus 34° R. calido involutus est usque ad $5\frac{1}{2}$ h. Aegrotus ex quo lavari et sudare incepit, dimidium circiter aquae quadrantem quotidie bibit.

$4\frac{1}{4}$ h.: puls. 96; resp. 24; temp. 38°,37

Inter cutem et stragula . . 37°,57

$5\frac{1}{4}$ h.: puls. 94; resp. 26; temp. 38°,33

Inter cutem et stragula . . 37°,50

$5\frac{1}{2}$ h. pond. corp. = 82,8 Kgr.

IV. die:

$2\frac{3}{4}$ h. pondus corporis = 84,1 Kgr.

Ad $3\frac{1}{2}$ h. usque balneum 35° R. calidum.

Sudat usque ad $5\frac{1}{2}$ h.

Quo facto pondus corporis = 82,25 Kgr.

Valetudo universa bona.

V. die. Ante balneum pondus corporis = 83,25 Kgr.
postquam sudavit . . . . . . = 81,50 „

VI. die. Ante balneum pondus corporis = 82,60 „
post sudorem . . . . = 81,00 „

VII. die. Ante balnenm pondus corporis = 81,30 „
post sudorem . . . . = 80,60 „

VIII. die. Ante balneum pondus corporis = 81,75 „
post sudorem . . . . = 80,80 „

IX. die. Ante balneum pondus corporis = 81,05 Kgr.
post sudorem . . . . . . = 79,70 „

XII. die. Ad hunc diem usque aegrotus quotidie sudavit quamquam paulo minus quam antea.

Ante balneum pondus corporis = 80,50 Kgr.
post sudationem . . . . = 79,80 „

Aegrotus ex die hesterno propter alvum obstructam infus. fol. Sennae (e ℨij) ℥vj cum Magn. sulf. ℥j secunda quaque hora unum cochlear sumpsit. Hodie quum semel faeces haut ita largae secutae sint sumere continuat.

XIV. die. Ante balneum pondus corpor. = 80,10 Kgr.
post sudationem . . . . . . = 78,70 „

XV. die. Ante balneum pondus corp. = 79,55 „
post sudationem . . . . . . = 78,60 „

XVIII. die aegrotus crebro vomuit, et faeces quamquam saepius aderant, numquam tamen largae erant, qua de re pilulae Aloës, Coloquinth. Rhei praescribuntur. Sitis vehemens. Pulsus manifesto dicrotus.

XXVII. die. Aegrotus heri vespero frigore, nocte capitis dolore laboravit. Cibos jam optime patitur, alvusque est normalis. A die hodierno liq. ferri chlorat. iteratur.

I. die mens. April. Vexatur ex diebus nonnullis capitis dolore frontali nauseaque. Oedema femorum, scroti abdominisque tegumentorum plurimum auctum est. Etiam nunc balneis utitur calidis, sed tantum paulum sudat. Ad faeces, quae exiguae sunt et valde dilutae, saepe urgetur. In abdomine fluctuatio obscura animadvertitur.

III. die h. m. Aegrotus non modo crebris capitis doloribus cruciatur, sed crevit etiam oedema quum femorum

tum maxime scroti. Daturque ei, quippe qui liq. ferri chlorat. haud posset pati, tinct. ferr. acet. Radem.

V die oedema crescere certe cognoscitur. Vespere respirationem sibi deminui quum aegrotus animadverterit, thoracis tamen cognitio physicalis institui non poterat, quia stragulis involutus sudabat.

VI die. Ab anteriore parte thoracis dextra obtusio oritur in quarto spatio intercostali, quae proxime in hepatis obtusionem transit, itemque obtusio in utraque parte posteriore ab inferiore triente scapulae deorsum versa reperitur. Obtusio cordis ab inferiore costae tertiae margine incipiens infra papillam mammillarem lineam extra praecedit, dextraque ad medium sternum usque extenditur. Ubicunque sonus auditur plenus, respiratio est vesicularis, in circuitu contra obtusionis et respiratio deest neque fremitus pectoralis potest cognosci, qui juxta et supra exsudationem est auctus.

X die venter valde tumidus atque adstrictus; queritur aegrotus de aëre deficiente doloribusque pectoris, qui praesertim, alte si respirat, utroque latere existere solent.

XIV die fauces et pars pharyngis posterior quum et rubefacti sint et tumuerint, devorandi difficultate vexatur. Abdomen quamquam minus est tumidum, fluctuatio tamen distincta. Praeparata ferri non porro dantur, quia aegrotus male perfert.

XV die. Anteriore in pectoris latere plenus auditur sonus percussionis et respiratio vesicularis, ad laevam prope a sterno rhonchi sonori singuli cognoscuntur: in parte posteriore superiore sonus plenus, unum digitum supra angulum scapulae inferiorem obtusio deorsum versa,

cujus in circuitu respiratio abest; ad laevam supra eam respiratio incerta, in loco quamvis parvo exspiratio bronchialis, superiore in regione respiratio vesicularis, locis nonnullis strepitus siccus. Primus cordis sonus impurus, ceteri puri sunt.

XIX die aegrotus quum non modo de gustu pessimo queratur, sed spiritus etiam foetidus gingivaque livida sit et suppurativa, praescribuntur Kali chlorici ʒij ad ℥vj.

Die XXII devorandi difficultates decesserunt. Aegrotus de spiritus inopia queritur; oedema scroti extremitatumque inferiorum paulum decrevit.

Die XXV extremitatum oedema paulum rursus auctum, scroti minutum est. Alvus, ad quam efficiendam nihil praescriptum est, larga tamen et diluta. Appetitus haud ita magnus; capitis dolores prorsus abierunt.

Die II m. Junii. Dextro in latere a fronte thoracis obtusio oritur inde a costa tertia, posteriore in parte a media scapula, sedente aegroto, qui si cubat obtusio a quinto demum spatio intercostali incipit. Sumit jam diutius decoct. cortic. Chin. reg. (℥β ad ℥vj) cum Tart. depur. ℥β; praeterea tinct. ferr. pomat. ter quindecim guttas per diem.

De difficultate respirandi, ut adhuc semper, aegrotus non amplius queritur. Quamquam capitis doloribus nonnumquam laborat, micant oculi sonantque aures, haec tamen symptomata mox evanescebant. Quae ne repetantur, datur

Acid. citric.
Sach. alb. āā ℥j altera quaque hora cochlear parvum.

Die XI ejusdem m. Stante aegroto a tergo obtusio incipit in regione a spina scapulae ad dextram sita; a fronte ad dextram obtusio intensiva inde a costa secunda. Si cubat dextra a fronte spatium intercostale secundum est sono claro usque ad lineam mammillarem, unde obtusio oritur totalis extra atque deorsum versa. Auscultatione solum in parte superiore respiratio vesicularis, in fine obtusionis incerta atque debilis invenitur, quae magis deorsum prorsus abest. Ad laevam a tergo obtusio adest inde a costa nona deorsum versa. Impulsus cordis in linea mammillari usque ad spatium intercostale quartum infra ipsam papillam mammillarem existit, quem obtusio haud transgreditur. In abdomine non nisi in parte infima obtusio. Margo hepatis inferior paulo plus pollice arcum costarum supereminet. Emulsionem gtt. ij olei Crolon. sumit.

XXII die oedema faciei, quae paulum stupida se ostendit, plane fere abiit; molestiae subjectivae desunt. Respiratio 20 in minuta, pulsus 80, mediocriter plenus. Alvus ter aut quater quotidie, sumpta Aloë. Symptomata uraemica octo ex diebus non adfuerunt. Cognitione physicali eadem quae prius sunt reperta.

Die XXIX. Cremor tart. quum large sit adhibitus, alvi dilutae exstiterunt, quam ob rem deminuitur. Praeterea ferr. carb. datur.

Die III m. Julii. Alvi illae dilutae manent quater aut quinquies quotidie, quamquam Tart. dep. omittitur; alvi aquosae non sunt dolore conjunctae. Aegrotus melius se habet. Faciei oedema minutum est abdomenque tactu laxiore, quamquam fines obtusionis non sunt mutati.

Dextra in thoracis parte accubante aegroto obtusio in linea mamillari incipit inde a costa quarta, sedente illo inferiore a margine tertiae.

Die V in linea mammillari cubantis obtusio oritur a costa quinta, sedentis a superiore margine costae quartae. Diarrhoea ex die hesterno diminuitur: heri ter, hodie bis alvos habuit minus dilutas.

Die XX aegrotus raucitate vexatur, quae vesicatorio applicito decedit. Tussis est aucta sputisque mucosis conjuncta, contra quam Benzoë datur.

Die XXVII. Sonus ille clarus in regione ad dextram juxta sternum sita usque ad costam quintam in statu horizontali, in perpendiculari tertium jam spatium intercostale juxta sternum est obtusum. Oedema perexiguum.

Die XI m. August. strepitus systolicus et in apice cordis et in parte superiore auditur. Pulsus 52.

Die XVI pulsus 48. Valetudo ipsius bona; appetitus optimus, alvus normalis. Ex die hesterno genae, antea semper palidissimae, mire nonnumquam sunt rubrae.

Die III m. Octbr. Huc usque quum valetudo aegroti satis bona potuerit significari, jam et cetera et faciei oedemata prorsus decesserunt, neque ulla de re queritur nisi de virium imbecillitate maxima. Abiit hydrothorax, optimusque ei est appetitus. Atque duobus quotidie pilulis Rhei ℥j, extr. Coloquinth. ℈j, extr. Aloës ℈ij compositis utens bis vel ter per diem faeces emittit.

Die X jam viribus crescentibus aegrotus bene stare atque incedere potest Appetitus optimus. Sumit praeter illas pilulas quater per diem tinct. fer. pom. gtt. XX.

Die XI. Vespere aegrotus frigore spasmisque laboravit, atque capitis doloribus et ardore, qui per noctem durabat.

Pulsus 92, temperatura haud multo aucta, facies paulum rubefacta. Ipsi viae aëroferae sauciae esse videntur: tussis paululum aucta, sputaque adsunt nonnulla mucosa, purulenta. Datur ei lagena aquae, quam nos dicimus Sodawasser.

Die XV. Huc usque frigus aberat, valetudo universa eadem quae antea.

Die XVI. Tussis, quae semper etiam adest, quum somnum aegroti nocturnum nonnumquam turbet, datur ei infus. Seneg. liqu. Ammon. anis. aa ʒj ad ℥vj.

Die IX m. Novembr. Inde a die hodierno balneum calidum quotidie adhibetur, quod sudatio insequitur.

Die XX. Sputa exigua quum nonnullis ex diebus sanguinea adsint, quamquam neque cum dolore thoracis, neque febri conjuncta, neque infiltratio potest cognosci: Salvia ut gargarizet praescribitur.

Die XXI sanguinis ejectio quia non minuitur, datur Creosot. gtt. iv ad decoct. Althaeae (ʒij) ℥vj altera quaque hora cochlear unum.

Die XXV et nocte et post meridiem ad quintam horam aegrotus large vomuit, vertigine tamen et capitis dolore non laborat.

Die XXVI tinct. Rhei aquos. ℥j cum tinct. nuc. vomic. ℈j quater per diem unum cochlear parvum. Creosot. omittitur.

Die I m. Decembr. desierunt stomachi labores; manent

sputa sanguinea, quamvis semper exigua. Denuo igitur Creos. adhibetur.

Die V jactura sanguinis paulum decrevit. Dantur aegroto nutrimenta quam maxime roborantia.

Die XVII sanguinis minorem vim quum ejiciat, Creos. omittitur.

Die XXIV dextro pulmonis in cacumine paulum adest obtusionis, compressione fortasse hydrothoracis, qui antea dextro in latere fuerat, ortae. Semper etiam strepitus cordis systolicus auditur.

Die XXX. Nonnullis ex diebus catarrhus laryngis tenuis ortus est aegrotum persaepe ad tussim concitans, contra quem ter quotidie Morph. gr. $\frac{1}{12}$ utitur.

Die III m. Jan. anni 1861 aegrotus, qui duobus ex diebus summo versatur in lethargo stertensque cubat, simulatque excitatur denuo somnum capit: tempore ex postmeridiano convulsiones haud voluntariae omnium corporis partium animadvertuntur. Oculi defixi et stupidi, bulbosque ipse saepe circumvolvit. Ad vesperum respiratio maxime abnormis, atque adeo quarta minutae parte plus nonnunquam omissa, ceterum stertens. Aegrotus pervecors etiam inter coenam et colloquium abdormiscit. Perdurant convulsiones: nullus vomitus; capitis tinuitus scintillasque oculorum adesse negat. Pulsus 80. Datur aqua limonada concentrata.

Die IV tempore matutino status prorsus idem. Urina, inde a die secundo m. Januarii ad dimidiam partem prioris deminuta, hodie non nisi cum alvo, in qua inusitatum nihil inveniebatur, est reddita. Horologium parieti impendens aegrotus distinguere nequit. Aëre exspirato charta reactoria rubra humefacta

colore caeruleo tingitur. Tribus ex diebus utraque in extremitate inferiore prurigo exstiterat, quae quum vehementer pruriret, ab aegroto plane deradebatur. Vecordia et lethargus perdurant. Praescriptum: Lavatur aegrotus aceto imponiturque pectori mantele aceto imbutum, ut ipse vapores inhauriat; simulque dimidia quaque hora acid. benzoic. gr. V. Bibit potionem citricam. Urinam ad augendam Tart. depur. sumitur quater unum cochlear parvum.

Die V mane pessime se habet aegrotus; jacet enim mentis minime compos, neque quaerentibus respondet neque omnino loquentes audire videtur; sumpta medicamenta instillata ex ore emittit, nullo devorandi motu facto. Accedit respiratio valde stertens duodecies vel sedecies quaque minuta. Convulsiones eodem tempore in variis et superioris et inferioris corporis musculis apparent. Bulbi rigidi, palpebrae saepe palpitantes, pupillae haud amplificatae, neque vomitus ullus. Pulsus 108. Acid. acetic. si naso objicitur, mm. levat. nasi paullulum convelluntur. Praescribuntur igitur fomenta frigida capiti, magna vesicatoria pectori et cervici imponenda, lavationes cum aceto, vapores ex panno aceto imbuto pectorique imposito inhalandi; naso acid. acet. praetenditur; teguntur que femur et sura sinapismis. Usum ad internum inf. Digital. gr. XV cum Tart. dep. ℥β ad ℥vi quaque hora unum cochlear. Bibit limonadem.

Vespere mens ad exiguum temporis spatium quamvis minimum aegroto redisse videtur, quum ad illum, qui nomen ejus elocutus erat, oculos verteret. Pulsus satis plenus 120.

Die VI mane mens plane abest. Respiratio 28, superficialis strepituque creberrimo toto in pectore conjuncta, pulsus 128, parvus. Medicamenta aegrotus haud amplius sumit. Emetico inducto non vomit, quamquam tentamina vomendi nimis debilia musculis abdominis vi electrica impletis, adjuvantur. Venaesectio 6 — 7 ℥ sanguinis vix educit. Superfunditur deinde aegrotus in balneo calido versans, tum teritur, nullo tamen eventu nisi quod medicamenta instillata melius devorat. Praescribitur liqu. aeth. acet. et acid. benzoic. cum Gummi arabici aa ʒij ad ℥vj emuls. Nonnullis jam dosibus datis convulsiones existunt, quae quum ad horam tertiam ac dimidiam redeant, mortem adducunt.

Narratio sectionis 19 horis post mortem perfectae.

Corpus perrobustum optimeque nutritum, rigor mortis maximus. Oedema extremitatis inferioris prorsus paene deest, superioris est parvum, praesertim manus sinistrae. Cranium percrassum, quae crassitudo maxime pendet a diametro utriusque tabulae; diploë nonnullis locis paene evanuit. In sulc. longitud. multum sanguinis crassoliquidi cum crusta phlogistica adest; dura mater firma, densata et circum sulc. longitud. et circum vasa majora: vasa sanguine impleta, praeserti mart. mening. media. Cranium in parte sinistra sulcos vasorum praebet profundos, atque uno loco ponte munitum, ad dextram sulcos profundos cum jugis in margine canalium diploicorum, neque ita procul a fonticulo impressiones glandularum Pacchioni, quarum fundus varia crassitudine laminisque ossium tenuibus formatur. Itemque ad laevam lacuna profunda. Quibus locis aliisque dura mater cum tabula interna firmiter est

conjuncta. Superficies interna ossis frontis densa osteophyta duritiae eburneae praebet. Sulc. longitud. si sequeris, Pacch. granulationes frequentes, quarum vis maxima lacunae supra nominatae respondet; secundum suturam coronariam haemorrhagiae recentes in textura arachnoideae inveniuntur. In ventriculis lateralibus paulum liquoris, ependyma haud ita crassum. Incisionibus factis cerebrum apparet solidum, micantque ex vasis substantiae albae puncta sanguinea, ipsa autem perlucentibus venis paulum est impura; substantia grisea pallida, colore subglauco rubello. Cornu posterius dextrum nonnullis locis coaluit. Venae substantiae albae valde sunt dilatatae; plexùs laterales omnino colore helvolo, eorumque venae et satis amplae et sanguine impletae. Glaudula pinealis satis solida est et multa cum arena; tela chorioidea facile potest abduci; corpora quadrigemina adspectum praebent optimum: nec minus cerebellum satis solidum. Ventriculus quartus satis amplus; striae acusticae diversae, quum ad laevam funiculus densus, ad dextram fibrae duae tenues seque secantes inveniantur. Substantia alba cerebelli eadem quae cerebri: itemque grisea pallidior. Ganglia centralia, praesertim thalami optici perpallidi, solidi, quorum thalamorum nonnullis locis substantia medullaris tam pallida, ut vix discrimen inter eam et albam cognosci possit. Liquor cerebri paulum acidum se praebet.

Apparatus adiposus subcutaneus pectorisque musculi copiosi adsunt et colorem habent normalem. Pulmones valde tumidi, reperiturque in dextro pleurae sacco paulum liquoris cruenti, in laevo nihil. Ipsi pulmones nihil inusitati nisi infiltrationem oedematosam partium posterio-

rum inferiorum praebent. In mediastino antico multum adest pinguedinis.

In pericardio paulum liquoris impuri; cor magnum, praecipue in ventriculo laevo valde amplificatum; musculi ventriculi sinistri quamquam erant satis firmi, facta tamen investigatione microscopica degenerationem adiposam longe jam processisse intellectum est. Circuitus ejus, medio in ventriculo, corde haud dissecto, metiendo cognitus, erat 8″, ventriculus 5″ longus.

Apicem cordis solus paene ventriculus format sinister. Dextro in ventriculo macula tendinea grossum magna reperitur. Omnibus in valvulis nihil mutatum est, nisi quod in valv. semil. aortae exiguae excrescentiae adsunt. Aorta solito angustior. Pondus cordis 590 Grm.

In cavo abdominis nulla effusio neque intestinorum superficies quidquam praebet singulare. Omentum et mesenterium satis adiposum.

Renes dense adipi tecti sunt. Dextro in rene capsula arcte adhaeret; atque textus ejus prorsus paene decessit; in superiore strati medullaris parte est degeneratio cystoidea. Organum plurimum minutum: 3″ longum, $1\frac{1}{2}$″ amplum, 1″ densum. Pondus renis dextri 60 Grm.

Ren sinister magna capsula adiposa circumdatus est firmissime adhaerente, cujus capsulae vasa valde dilatata sunt atque sinuosa. Ren $4\frac{1}{2}$″ longus, $2\frac{3}{8}$″ ampl. $1\frac{1}{2}$″ densus.

Ipsa capsula valde densata locisque nonnullis granosa: in superficie incisurae striatae dispersae sunt, a quibus capsula non nisi stratis texturae singulis relictis removeri potest. Locis illis striatis substantia medullaris valde

rubefacta, ibidem vasa amplificata, quorum majora multo sanguine liquido et fusco impleta sunt. E textura sordidi coloris nihil paene discerni potest. In pyramidibus, quarum structura firmissima est, striae albae in substantiam medullarem usque incedunt. Substantia corticalis locis striatis $\frac{6}{8}$″ ampla, in ceteris 1″. In hilo renis multum adipis. Pondus renis sinistri 200 Grm. Vesica urinaria valde dilatata arcum pubis supereminet urina paulum turbida, colore flavo.

Hoc in casu si causam morbi primariam quaerimus, haud ita perspicue in historia morbi apparet, etenim quum observationes initio morbi de urina accurate institutae non adsint, haud scimus num primo jam tempore, quo febris intermittens exstitit, morb. quoque Brightii acutus adfuerit, qui postea in melius versus, tandem redeunte febri, in morb. Br. chronicum transierit.

Mihi quidem hanc ad sententiam id pertinere videtur, quod tumores illi hydropici permagni, qui, febris quum decessisset, oriebantur, nonnullis hebdomadibus post evanuerunt, quodque valetudo aegroti universalis ita se habebat, ut sani instar dimitteretur. Nihilo minus tamen facillime fieri potuit, ut vis albuminis exigua in urina adesset, quae tempestatis iniquitate aliisque causis perniciosis, quibus ille, quum peregrinaretur, expositus erat, nullo modo tolli poterat. Quamquam hoc haud minus verisimile est, morb. Br. chronicum tum demum exstitisse quum aegrotus diuturnitate intermittentis adeo debilitatus et valetudo ejus adeo corrupta esset, ut hanc ipsam ob causam m. Br. chron. exstaret. Morbum autem jam tum incepisse mihi quidem vix dubitari posse videtur. Aegro-

tus enim ipse etiamsi dicit febri intermittente pulsa aliquamdiu plane sanum se fuisse, nos tamen hoc argumento haud puto ad contrariam sententiam adduci, namque aegrotus natura homo robustus quum totum per annum intermittentem pertulerit, miserrimaque conditione versans se traxerit, recte nos ponere arbitror, eum ipsum nihil recti aut veri de valitudine sensisse, sed relative eam intellexisse: quodque morbo Br. incipiente et parum vehemente diutius etiam bene se habere potuit, id nihil est inusitatum.

Morbi processus, supra accurate descriptus, multa haud ita usitata praebet. Ac primum quidem quod hydrothorax ille in uno tantum latere adfuit nullo modo declarare possumus; dextro enim in latere effusionem in cavum pleurae summam invenimus, quae tamen postea prorsus paene decessit, ut sectione facta nihil nisi vim liquoris perexiguam reperiremus, quum sinistro in pleurae cavo liquorem non adesse ipsi viderimus. Etsi in hydrothorace haud raro accidit, ut altero in latere major sit, tale autem, quod dicimus, exemplum perraro tantum invenitur; secundum illas enim, quas Frerichs instituit observationes, hydrothorax sinistro in latere major esse solet; altero autem in latere illum omnino non adesse, quum in altero graviter exstet, hac de re omnibus quibus uti potui in libris, nihil inveni. Hydrothorax quod quum anasarca abiisset, ipse prorsus paene evanuerit, id nemini mirum videbitur, neque exempla absunt, quibus omnes tumores hydropici plane decesserunt, etiamsi eo tempore hoc factum est, quo contra ipsos haud agebatur. Sonus ille primus cordis impurus, qui vivo aegroto semper

audiebatur, maxima illa hypertrophia ventriculi sinistri atque commutationibus valv. semilun. aort. quamvis exiguis declarari potest, praesertim quum sanguis, quia aorta solito angustior erat, eo majore vi impelleretur.

Jam ut exitum morbi fatalem attingam, nulla mortis causa mihi inveniri posse videtur, nisi intoxicatio illa uraemica, quia neque sectione neque alio modo symptomata cerebralia intelligi possunt. Ac quidem hoc loco non acuta sed chronica ejus forma ponenda est. Statim quum sudaverit aegrotus, symptomata existunt, ut vomitus, capitis dolores diuturni, qui saepe redeunt, ut fortasse initium uraemiae chronicae iis significari putandum sit. Quae symptomata quamquam decedunt, duobus tamen mensibus post (initio mensis Junii) dolor capitis cum micatione oculorum et tinnitu aurium conjunctus rediit, paulo post iterum evanescens. Talia symptomata quum nonnunquam exstitissent, semper autem mox decessissent, certissima uraemiae signa accedebant, quae magis magisque crescentia mortem tandem adduxerunt. Quae symptomata inde oriri, quod materiae urinae excrementiales in sanguine remaneant, omnes consentiunt, dissensionem autem adesse puto, si quaeritur, quales sint illae materiae. Antea ipsi, quod dicimus Harnstoff, causam tribuendam esse existimabatur, donec observationibus a Frerichs factis ostensum est, non esse ipsam illam materiam, sed quod ex illa oriatur, Ammon. carbon., cui vis insit tam perniciosa. Quae sententia etsi nondum ita demonstrata est, ut nihil contradici possit, eam tamen rectam esse maxime verisimile est. Visus quod deminuitur aut omnino amittitur, id saepe degenerationibus aut effusionibus san-

guinis retinae effici nostris temporibus cognitum est, quas tamen cum intoxicatione uraemica aliquo modo conjunctas esse haud prorsus negem. Rarius contra, quae antea omnium erat sententia, fieri videtur, ut amblyopia vel amaurosis uraemica quae dicitur, visus aut debilitari incipiat aut prorsus effugiat. Therapia autem quod degeneratione granulosa renum adeo provecta paulum vel nihil potius efficere potest, praesertim si symptomata intoxicationis uraemicae, quae jam diutius aderant, subito ad gradum tam altum et periculosum perveniunt, id mirum nobis videri nequit.

Multitudo albuminis, quae initio statim reperiebatur, totum per morbum fere eadem manebat, neque unquam evanuit, etiamsi postea non tam magna fuit. Cylindri fibrinosi initio permulti partim hyalini, partim granulosi erant, qui serius multa epithelia ostendebant, quae metamorphosim adiposam acceperunt. Urinae quantitates, quales se praebebant horis viginti quatuor, hic sequuntur.

Dat.	Quant.	Pond. spec.	Dat.	Quant.	Pond. spec.	Dat.	Quant.	Pond. spec.
	Mai.		22	1780	1014	5	1860	1012
7	1260	1015	23	1610	1014	6	1870	1013
8	1420	1015	24	1700	1014	7	1880	1012
9	1520	1015	25	1600	1013	8	1830	1012
10	1550	1015	26	1330	1013	9	1900	1012
11	1690	1014	27	1760	1013	10	1700	1012
12	1665	1016	28	1720	1014	13	1670	1014
13	1800	1014	29	1280	1015	14	2020	1011
14	1640	1014	30	1370	1014	15	2010	1012
15	1890	1013	31	1580	1013	16	2050	1012
16	1850	1014		Juni.			Juli.	
17	1940	1014						
18	1710	1014	1	1780	1013	5	1400	1012
19	1750	1013	2	1920	1013	6	1450	1012
20	1600	1013	3	1870	1013	11	1830	1012
21	1660	1013	4	1630	1013	15	1980	1010

Dat.	Quant.	Pond. spec.
16	1500	1010
17	2010	1011
19	2150	1011
21	1580	1011
22	1350	1011
23	1640	1011
24	1430	1011
25	1350	1011
26	1420	1011
27	1180	1011
28	1410	1011
29	1340	1011
30	1210	1011
31	1300	1011
August.		
1	1420	1010
2	1480	1010
3	1200	1010
4	1220	1010
5	1580	1010
6	1500	1010
7	1560	1010
8	1630	1010
9	1150	1010
10	1600	1010
11	1400	1010
12	1070	1010
13	1630	1010
14	1610	1010
15	1770	1010
17	2250	1010
18	1910	1009
19	2100	1010
20	1990	1010
21	2400	1010
22	2500	1010
23	2500	1010
24	2560	1010
26	2300	1010
27	2430	1010
28	2580	1010
29	2500	1010
30	2500	1010
31	2520	1010
September.		
1	2480	1010
2	2330	1010

Dat.	Quant.	Pond. spec
3	2280	1010
4	2800	1010
5	2200	1010
7	2600	1010
8	2700	1010
9	2620	1010
10	2500	1010
12	2250	1010
13	2400	1010
14	1900	1010
15	2300	1011
16	2250	1010
17	2450	1010
18	2480	1010
19	2500	1009
20	2500	1009
21	1980	1010
23	1150	1012
24	1790	1009
25	1650	1009
26	1650	1010
27	1910	1010
28	1880	1010
29	1680	1010
30	2500	1010
October.		
1	1890	1010
2	1880	1010
3	2200	1010
4	2140	1010
5	2790	1010
6	2800	1010
7	3000	1010
8	2800	1010
11	3010	1010
12	3050	1010
13	2600	1010
14	2900	1010
15	2780	1010
17	2920	1008,5
18	2750	1009
19	2870	1010
20	2650	1010
21	2830	1011
22	3160	1011
23	2750	1010
24	2440	1010

Dat	Quant.	Pond. spec.
25	2730	1010
26	2900	1010
27	2670	1009
28	2600	1011
29	2430	1010
30	2750	1010
31	2570	1010
November.		
1	3190	1010
2	3120	1010
3	3020	1010
4	3070	1009
5	3150	1009
6	3060	1010
7	3050	1009
8	3360	1010
9	3150	1009
10	2780	1010
11	3330	1010
12	2990	1010
13	2700	1010
14	3400	1011
15	2920	1009
16	3210	1010
17	3300	1008
18	2940	1009
19	3250	1008
20	3040	1009
21	3010	1009
22	3105	1010
23	3020	1011
24	2730	1011
25	2640	1010
26	2780	1009
27	2800	1008
28	2640	1009
29	2630	1009
30	2670	1010
December.		
1	2440	1011
2	2170	1010
3	2880	1008
4	2460	1008
5	2590	1009
6	2650	1009
7	2740	1010
8	1750	1014

Dat.	Quant.	Pond. spec.	Dat.	Quant.	Pond. spec.	Dat.	Quant.	Pond. spec.
9	2720	1010	20	2340	1009	30	2570	1009
10	1160	1009	21	2580	1008	31	2780	1009
11	2650	1008	22	2570	1009	Januar 1861.		
12	2980	1008	23	2630	1009			
13	2000	1008	24	3000	1009	1	1670	1010
14	2000	1009	25	2770	1009	2	1300	1010
15	1730	1008	26	2820	1008	3	1200	1011
16	2190	1009	27	3230	1009	4	urina non nisi	
17	2340	1009	28	2840	1009	5	cum alvo	
18	2240	1010	29	2790	1009	6	editur.	
19	2490	1009						

VITA.

Ernestus Ferdinandus Mischner, fidei addictus evangelicae, natus sum in vico, Lusatiae superioris cui Gross-Radisch nomen est, die XXII m. Jun. a. h. s. XXXV, patre Andrea, verbi divini antistite, matre Augusta e gente Jankiana, quam mihi morte ereptam intimo ex animo lugeo semperque lugebo. Primis literarum elementis privatis scholis imbutus a. h. s. LI gymnasium adii Gorlicense, quod tunc auspiciis Antonii florebat, nunc regitur a Schuettio. A. h. s. LVII maturitatis, quod dicunt, testimonio instructus almam petii matrem Gryphicam, cujus civibus me adscripsit Ill. Bardeleben, vir magnificus; nomen apud Ill. Haeser, t. t. decanum spectabilem professus sum. Post tria semestria Lipsiam profectus inter hujus universitatis cives receptus sum ab Ill. de Waechter, t. t. rectore magnifico. Gryphiam redii post tria semestria rectore magnifico Ill. de Feilitzsch, atque decano spectabili Ill. Bardeleben. Haec per semestria disserentes audivi:

Ill. Baier: de logice.

Ill. Stiedenroth: de psychologia.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali.

Ill. Huenefeld: de chemia, de mineralogia, de geologia et geognosia.

Ill. Muenter: de botanice, de zoologia; eundem in excursionibus botanicis secutus sum.

Ill. Schultze: de anatomia comparata.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, chondrologia, myologia; de physiologia, de embryologia; de anatomia cerebri et medullae spinalis; de arte cadavera rite dissecandi.

Cel. Laurer: de materia medica, de arte fascias rite alligandi.

Ill. Wunderlich: de pathologia et therapia speciali, de morbis constitutionis, de morbis cutis, de morbis organorum uropoëticorum.

Ill. Guenther: de chirugia speciali, de akiurgia; idem in operationibus in cadavere instituendis dux mihi fuit.

Ill. Credé: de arte obstetricia, de morbis mulierum, de operationibus obstetriciis in phantomate exercendis.

Ill. Uhle: de diagnostice physica, idemque in exercitationibus practicis dux mihi fuit.

Ill. Bock: de anatomia pathologica.

Cel. Wagner: de histologia anatomica.

Cel. Funke: de exercitationibus microscopicis.

Exp. Bengelsdorff: de arte formulas medicinae rite concinnandi.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi.

Exp. Ziemssen: de syphilide.

Exp. Schirmer: in exercitationibus opthalmoscopicis dux mihi erat.

Ill. Haeser: de encyclopaedia et methodologia; de pathologia et therapia generali; de morbis epidemicis, de historia medicinae.

Ill. Bardeleben: de chirugia generali; de fracturis et luxationibus; de ophthalmiatrice; idem dux mihi erat in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis.

In scholis clinicis cum medicis tum chirurgicis Ill. Wunderlich, Ruehle, Guenther, Bardeleben, in opthalmiatricis Ruete, Bardeleben, in obstetriciis Credé et Pernice praeceptores mihi fuerunt benevolentissimi. Quibus viris omnibus egregie de me meritis gratiam habeo semperque habebo quam maximam.

Nunc vero tentaminibus et philosophico et medico nec minus examine rigoroso superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina, chirurgia, arte obstetricia honores in me conferantur.

THESES.

I.

Chloroticarum cura ferri praeparatis neutiquam absolvitur.

II.

Hydropici tumores eorum, qui morbo Brightii laborant, sudatione optime curantur.

III.

Exercitationes gymnasticas a medicis maxime esse commendandas.